

plura TIBI de nostra situatione, de nostris operibus coram narrabit.

Vale Vir generosissime fauereque perge. Vt meis verbis totam familiam nobilissimam salutes etiam atque etiam rogo, qui sum semperque ero

[Uden Datum.]

tanti nominis
cultor deuotissimus.

(84) Viro generosissimo atque nobilissimo
D. C. a Linné
Archiatro meritissimo, Equiti
splendidissimo, Professore celeberrimo
s. p. d.
J. C. Fabricius

Litteras TVAS nuper ad me datas maxima cum voluptate accepi, iterum iterumque perlegi. Laetor TE valere et me benevolentia TVA haud indignum iudicare. Felicem me semper putabo, quod amore vere paterno me amplecti TVA-que manu ductione specialissima me beare haud dedignatus sis. Nullum sane naturale video, quod mihi recordationem praeceptoris optimi haud inspirat, cui omnes in historia naturali progressus, qualescunque denique sunt, omnino debeo.

Lipsiam reliqui Dresdam petens, vbi apudInspectorem Birkhan historiae naturalis cultorem diligentissimum per totam aetatem permanebo. Nunc vero in describendis insectis mihi minus cognitis pergam¹⁾

In descriptionibus communicandis alio tempore pergam, quum hodie de laboribus meis nouissimis TE certiolem facere iudiciumque TVVM mihi expetere constitui.

Examinavi nempe omnia insecta mihi cognita, quorum circiter 1400 species, secundum omnes oris partes, et ex his genera condidi, vt mihi videntur, constantiora. Characteres

¹⁾ Noget over en Quartside Beskrivelser paa Arter af Tenebrio, Attelabus, Curculio, Papilio, Chrysomela.